



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. IV. Solvuntur alia argumenta ex statu naturæ puræ desumpta,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

non verò de verò & propriè dicto martyrio, pro Deo reipsa tolerato, nam 2. 2. quæst. 124. art. 2. ad 2. expressè docet, quòd *martyrium est actus charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis.*

Dixi verò, aliquem in peccato mortali remanentem, non posse reipsa velle mori pro Deo: quia si peccator mortem tolerando, non excludat ejus relationem in Deum, nec eam ordinet ad bonum proprium, ut ad ultimum finem, justificabitur vi martyrij, ut probabiliter docetur in materia de baptismo, & adeptà gratiā sanctificante, poterit exire in actum dilectionis Dei super omnia.

218. Obijcies tertio: Si homo in statu naturæ lapsæ non possit sine gratia diligere Deum ut autorem naturæ, sequitur quod talis dilectio non sit naturalis, sed supernaturalis: At hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris manifesta videtur: ille enim actus ad quem requiritur gratia, est supernaturalis.

219. Respondeo negando sequelam Majoris. Ad cujus probationem dico, actum ad quem gratia requiritur per se, & per modum principij elicitivi illius, esse supernaturalem; secus verò si gratia exigatur tantum per accidens, & tanquam removens prohibens: gratia autem per se non requiritur ad dilectionem efficacem Dei ut authoris naturæ, sed tantum per accidens, ratione elevationis naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem, & conjunctionis finis naturalis cum supernaturali, & ad tollendum obicem peccati & aversionis à Deo ut ultimo fine, sicut assertione 2. declaravimus.

320. Obijcies quartò: Si homo in statu naturæ lapsæ non possit, nisi cum auxilio supernaturali, diligere Deum ut autorem naturæ, sequitur quod in eo statu minores habeat vires in ordine ad bonum morale, quàm habuisset in statu naturæ puræ: Sed hoc dici nequit, ut in Tract. de statibus naturæ humanæ ostensum est: Ergo nec illud. Sequela Majoris probatur: Homo in statu naturæ puræ, cum auxilio speciali ordinis naturalis, poterat hanc dilectionem elicere: Ergo si in statu naturæ lapsæ ad eam eliciendam indigeat auxilio supernaturali, erit minus potens in hoc statu quàm in illo.

Disp. 4.
art. ult.

221. Respondeo negando sequelam. Ad cujus probationem dico, quod licet homo in statu naturæ lapsæ indigeat auxilio supernaturali ad eliciendam dilectionem efficacem Dei ut authoris naturæ, hoc tamen non arguit ipsum in tali statu habere minores vires, quàm habuisset in statu naturæ puræ; quia hoc non provenit ex defectu potentiae, quæ per auxilium speciale ordinis naturalis in ordine ad talem dilectionem sufficienter completur; sed ex elevatione naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem, ut cōclusionem secundā exposuimus.

222. Dices: Ex hoc sequitur quòd homo etiam in statu innocentiae non potuit diligere Deum ut autorem naturæ, sine auxilio supernaturali: Sed hoc est contra D. Thomam hic art. 3. ubi ait, quòd *homo in statu naturæ integræ (quem status innocentiae includebat) non indigebat dono gratiæ superaddite naturalibus bonis, ad diligendum Deum naturaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis*: Ergo &c. Sequela Majoris probatur: Homo in statu innocentiae de facto fuit ordinatus in finem supernaturalem: Ergo si ex elevatione naturæ humanæ in finem supernaturalem, homo in natura lapsa indiget auxilio supernaturali ad prædictam dilectionem, eo quoque egebat in statu innocentiae.

A Respondeo concedendo sequelam Majoris: cum enim homo in statu innocentiae, propter elevationem ad ordinem supernaturalem, & conjunctionem finis naturalis cum supernaturali, non posset implere omnia præcepta naturalia, & vitare omnia quæ impediabant amicitiam naturalem cum Deo, sine auxilio supernaturali ad observantiam mandatorum supernaturalium requisito; non poterat etiam, sine eodem auxilio, actum efficacis dilectionis Dei ut authoris naturæ elicere. Unde ad probationem in contrarium dicendum est, D. Thomam ibi loqui de statu naturæ integræ, præcisivè sumpto, & secundum id quod ex propriis assert donum integritatis, subiciens appetitum inferiorem superiori; non verò de illo adæquatè sumpto, & prout reipsa fuit cum iustitia originali, & gratia habituali, subindeque cum elevatione ad ordinem supernaturalem conjunctus: nam sub hac ratione non minus auxilium supernaturale ad actum dilectionis efficacis Dei ut authoris naturæ exposcebat, quàm status innocentiae, seu originalis iustitiæ. Potest etiam dici, D. Thomam, loco citato, solum excludere à statu integritatis necessitatem auxilij supernaturalis, fanantis naturam, quod requirit in natura lapsa, non tamen negare necessitatem auxilij supernaturalis, eam elevantis ad ordinem supernaturalem.

§. IV.

Solvuntur alia argumenta ex statu naturæ puræ desumpta.

C Ontra tertiam conclusionem, in qua diximus hominem in pura natura constitutum non posse, cum solo concursu generali, Deum ut naturæ autorem efficaci amore diligere, in primis obijci potest autoritas D. Thomæ hic art. 3. in argum. *Sed contra.* & quodlib. 1. art. 8. assertentis, secundum quosdam hominem fuisse constitutum in solis naturalibus, Deumque super omnia dilexisse. Quod etiam insinuare videtur hic art. sequenti ad 3. dicens: *Præceptum de dilectione Dei non potest homo implere ex puris naturalibus, secundum quod ex charitate impletur.*

225. Responder Curiel ex Conrado, D. Thomam per hominem constitutum in solis naturalibus intelligere hominem conditum cum integritate naturæ, quæ proveniebat à iustitia originali: cum enim talis integritas non fuerit donum entitativè supernaturale, inter naturalia computatur, subindeque cum illa rectè potest dici homo constitutus in solis naturalibus, quia nihil habet quod non sit naturale.

Sed hæc interpretatio non videtur legitima, nec ad mentem S. Thomæ: nam si per hominem constitutum in puris naturalibus intelligeret hominem cum integritate naturali, non diceret: *Homo in solis naturalibus constitutus fuit, ut a quoque bonis ponitur*; cum ipsemet S. Doctor 1. p. quæst. 95. art. 1. doceat primum hominem fuisse conditum cum integritate naturæ, proveniente à gratia & originali iustitia.

Melius ergo respondetur, D. Thomam in illis locis loqui de puris naturalibus, per exclusionem donorum supernaturalium, non verò per exclusionem gratuitorum intra ordinem naturæ: unde solum intendit, quod homo in statu naturæ puræ posset diligere Deum ut autorem naturæ, absque auxilio entitativè supernaturali, non tamen negat quod indigeret ad talem dilectionem, & alios actus eximios & difficiles, auxilio speciali intra ordinem naturæ, ut nos asserimus.

226. Obijciatur secundò, & est præcipuum adversæ sententiæ fundamentum: In pucis naturalibus homo teneretur, præcepto naturali, Deum naturæ authorem super omnia diligere: At sine potentia non fiat obligatio, cum ex Tridentino sess. 6. cap. 11. Deus impossibilia non jubeat: Ergo posset in tali statu actum dilectionis efficacie elicere: At non per gratiam, cum status naturæ puræ omnem gratiam excludat: Ergo ex solis naturæ viribus, & cum solo generali concursu. Minor & consequentiæ patent: Major verò suadet ex D. Thomæ 1. 2. quæst. 94. art. 3. ubi docet ad legem naturalem pertinere omne id ad quod homo inclinatur secundum suam naturam: At homo ex sua natura inclinatur ad Deum authorem naturæ super omnia diligendum: Ergo naturali lege ad talem dilectionem teneretur. Unde egregiè Cyprianus serm. de bapt. Christi: *fusus est (inquit) Domine ut diligamus te: hoc natura, hoc ratio, hoc verbi tui clamat auctoritas.* Clamat quippe natura amandum esse creatorem; clamat ratio redamandum esse amatorem.

227. Respondeo posse hominem in statu naturæ puræ Deum ut naturæ authorem super omnia diligere; non quidem per auxilium ordinis supernaturalis, neque cum solo generali concursu, sed per auxilium speciale ordinis naturalis, quod Deus in tali statu offerret, quando urgeret obligatio præcepti dilectionis, hoc ita exigente providentiæ suæ suavitate, quæ homini in nullo statu impossibilia præcipere potest. Nec status naturæ puræ omnem gratiam specialem excluderet, sed solum gratiam supernaturalem entitativè, vel naturalem per modum habitus & formæ permanentis, qualis foret gratia sanans naturam, eamque integram integritate purè naturali constituens, ut in Tractatu de statibus naturæ humanæ ostendimus. Potestque hoc argumentum retorqueri in Adversarios: homo enim in statu naturæ puræ, non solum teneretur, præcepto naturali, Deum ut authorem naturæ diligere super omnia, sed etiam toto tempore vitæ in tali dilectione perseverare; & tamen certum est, & fatetur ipsi Adversarij, quod id non posset in tali statu præstare cum solo concursu generali, sed indigeret ad perseverandum speciali auxilio ordinis naturalis: quod ergo illi dicunt de perseverantia in amore, nobis de ipso dilectionis actu dice-re licet.

228. Obijciatur tertio: D. Thomæ hic art. 3. ex eo probat hominem in statu naturæ lapsæ indigere gratiâ ad diligendum Deum ut authorem naturæ, quia ratione culpæ mansit inclinatus ad bonum privatum: At in pura natura nulla esset culpa convertens, & inclinans hominem ad bonum privatum: Ergo in eo statu non indigeret gratiâ ad diligendum Deum ut authorem naturæ, sed id posset præstare cum solo generali concursu.

229. Confirmatur primò: In illo statu nulla esset infirmitas: Ergo homo in eo posset quicquid poterat in statu integritatis & sanitatis: At homo in natura integra, cum solo generali concursu, Deum ut naturæ authorem diligere poterat: Ergo & id posset in statu puræ naturæ.

230. Confirmatur secundò: In statu naturæ puræ non essent in homine nisi ea quæ consequuntur ex intraneis naturæ: Sed ab intrinseco naturæ oriri nequit aliquid in homine, ipsum impediens à consecutione finis, ad quem ab intrinseco inclinatur natura: Ergo in statu naturæ puræ nihil

A esset hominem impediens à dilectione Dei ut authoris naturæ, & ultimi finis naturalis consecutione.

Confirmatur tertio: Si aliquid illum impediret à tali actu, maxime rebellio appetitus: At hæc non ponit impotentiam moralem ad illum: Ergo &c. Probatur Minor: In homine lapsò, justificato per gratiam, manet rebellio appetitus inferioris contra superiorem, & tamen ratione gratiæ sanctificantis est potens moraliter ad istam dilectionem: Ergo rebellio concupiscentiæ, & pugna appetitus inferioris contra superiorem, non est sufficiens ad inducendam impotentiam moralem in ordine ad illum actum.

B Ad objectionem respondeo D. Thomam, ad probandum hominem in natura lapsa indigere gratiâ ad diligendum Deum ut authorem naturæ, recurrisse ad peccatum, inclinans & convertens voluntatem hominis ad bonum privatum; quia homo supponebatur ante culpam in statu integritatis, in quo poterat Deum ut authorem naturæ super omnia diligere; & ideo peccatum fuit de facto causa impotentiae moralis ad talem dilectionem, ut removens justitiam originalem, ex qua naturæ sanitas & integritas proveniebat: in natura verò pura, cum non supponatur sanitas, necesse non est recurrere ad peccatum, infirmitatem inducens, & voluntatem ad bonum privatum inclinans & convertens.

C Vel secundò dici potest, D. Thomam recurrisse ad peccatum, ut probaret necessitatem gratiæ specialis intra ordinem naturæ, quam solum in statu naturæ puræ necessariam esse dicimus ad dilectionem Dei ut authoris naturæ, & ad alios actus eximios & valde difficiles.

Ad primam confirmationem dicendum, quod homo in natura pura non fuisset infirmus privativè aut positivè, sed negativè; quia licet tunc fuisset propensus ad bonum privatum, talis tamen inclinatio non traxisset originem à peccato, sed ab intrinseca hominis constitutione, ex partibus habentibus inclinationes oppositas, nimirum ex rationali & sensitiva, compositi, ut in Tractatu de statibus naturæ humanæ, agendo de statu naturæ puræ, declaravimus. Unde

D Ad secundam, nego Minorem, quando natura est talis conditionis, quod gaudet duplici inclinatione contrariâ; tunc enim una aliam retardat, & impedit ne possit consequi suum terminum & finem connaturalem, nisi adjuvetur speciali auxilio. Nam in ipso homine est appetitus naturalis, quo vivere appetit, & mortem refugit, & tamen est in illo inclinatio contraria ratione materiæ, quæ ad corruptionem tendit, & ratione cujus necessario corrumpitur.

E Ad tertiam nego similiter Minorem. Ad cujus probationem negandum est Antecedens quantum ad secundam partem: cum enim gratia habitualis in hoc statu viz non sanet perfectè hominem, neque illi restituat integritatem naturalem, quam per peccatum primi parentis amisit, sed relinquat rebellionem concupiscentiæ, & pugnam inter appetitum inferiorem & superiorem, ad meritum & profectum vitæ spiritualis, adhuc indiget confortamine, & auxilio superaddito, ut in actum dilectionis Dei ut authoris naturæ exeat: quod auxilium in statu naturæ lapsæ, ratione elevationis ad ordinem supernaturalem, & conjunctionis finis naturalis cum supernaturali, per accidens debet esse supernaturale, ut in secunda conclusione diximus.

236.

Obicitur quartò: Homo habet naturalem inclinationem ad diligendum Deum super omnia, ut docere videtur D. Thomas hic art. 3. & late probat Victoria in relect. de homicidio num. 10. Ergo si crearetur in puris naturalibus, posset cum solo concursu generali, & sine auxilio gratiæ, reducere in actum hanc inclinationem, eliciendo actum dilectionis Dei ut authoris naturæ. Consequentia probatur: Tum quia aliàs inclinatio illa esset frustra, siquidem nullo modo posset reduci in actum, cum status naturæ puræ, auxilia gratiæ, quæ ad id essent necessaria, excluderet: Tum etiam, quia inductione constat, nullam esse inclinationem ad actum naturalem, quæ nullo modo possit per vires naturæ reduci in actum. Unde Theologi probant in Tractatu de visione beata, non dari in homine inclinationem naturalem ad beatitudinem supernaturalem, quia talis inclinatio non esset reducibilis ad actum, viribus naturæ, & à Deo ut dante talem inclinationem.

237.

Respondeo dato Antecedente, negando Consequentiam. Ad cujus probationem dicendum, quod ut inclinatio indita ab autore naturæ non sit frustra, sufficit quod possit reduci in actum per vires, & auxilia ordinis naturalis (sive illa sint generalia, sive specialia intra illum ordinem) absque recursum ad ordinem gratiæ. Unde cum homo in statu puræ naturæ, mediante auxilio speciali ordinis naturalis, Deum ut authorem naturæ posset diligere, & ad hoc non indigeret auxilio gratiæ, naturalis inclinatio ad diligendum Deum, quam haberet in illo statu, non esset otiosa & frustranea. Ex quo patet disparitas ad exemplum quod adducitur: inclinatio enim naturalis ad beatitudinem supernaturalem, neque per auxilia communia ordinis naturalis, neque per auxilia intra illum ordinem specialia, potest reduci in actum, ideòque sine auxilio gratiæ illa esset vana & frustranea. Dixi dato Antecedente, quia Curiel, & quidam alij existimant, inclinationem & appetitum naturalem in homine non esse ad diligendum Deum ut authorem naturæ, in seipso expressè & in particulari, sed solum ad amandum bonum universale & in communi, & Deum, ut confusè & implicite sub tali bono universali contentum.

§. V.

Tria corollaria præcedentis doctrine.

238.

EX dictis inferes primò, contra aliquos Recentiores, quod etsi in statu naturæ lapsæ daretur homo qui in solo originali existeret, ille non posset, sine auxilio gratiæ, Deum ut naturæ authorem efficaci amore diligere: nam, ut supra ostendimus, impotentia ad eliciendum actum dilectionis efficaciæ Dei ut authoris naturæ, provenit in homine ex propensione quam habet ad bonum privatum, & imbecillitate ac impotentia ad exequendum ex viribus naturæ omnia quæ in illa dilectione virtualiter continentur: Sed talem propensionem & impotentiam haberet homo in solo originali existens: Ergo ille Deum ut authorem naturæ efficaci amore non posset diligere, absque speciali auxilio. Addo quod, licet in peccato originali non sit positiva conversio ad creaturam, bene tamen privativa aversio à Deo, etiam ut authore naturæ, ut alibi ostendimus: Sed hæc aversio non potest non esse maximum

A dilectioni Dei ut authoris naturæ impedimentum: Ergo &c.

239.

Inferes secundò, quod etsi aliquis ignoraret invincibiliter se esse in peccato mortali personali, non posset tamen, absque speciali auxilio, Deum ut authorem naturæ, efficaci amore diligere: quia ille pariter esset inclinatus & propensus ad bonum privatum, & impotens ad exequendum ex viribus naturæ omnia quæ in dilectione efficaciæ Dei ut authoris naturæ virtualiter continentur.

240.

Inferes tertio, ad amorem concupiscentiæ Dei ut authoris naturæ, sufficientem ad imperandam totius legis naturæ adimplentionem, necessarium esse auxilium speciale: quia etiam in tali actu virtualiter continetur observantia totius legis naturalis, quæ sine speciali auxilio, in statu naturæ lapsæ poni nequit, ut articulo sequenti patebit.

ARTICVLVS V.

Utrum homo lapsus indigeat speciali gratiâ, & quali, ad observanda omnia præcepta naturalia collectivè, quantum ad substantiam operis?

§. I.

Premittuntur quæ ferè apud omnes sunt certa, & referuntur sententiæ.

241.

Suppono primò tanquam certum, hominem in nullo statu posse implere præcepta supernaturalia virtutum Theologicarum, sine gratiâ: cum enim actus illarum virtutum sint supernaturales quantum ad substantiam, nequeunt elici per vires naturæ. Unde D. Thomas supra quæst. 63. art. 2. ad 2. dicit: *Sunt quedam peccata mortalia quæ homo sine gratia nullo modo potest vitare, quæ scilicet directè opponuntur virtutibus theologicis.*

242.

Suppono secundò, hominem in omni statu indigere gratiâ, ad implenda præcepta naturalia quantum ad modum, ut scilicet ex charitate, & meritorie ac fructuose ad vitam æternam ea adimpleat: cum enim modus ille sit supernaturalis, & actus virtutum naturalium elevet ad ordinem & finem supernaturalem, manifestum est, illum sine gratiâ & charitate, quæ est forma virtutum, illisque confert vim præcipuam merendi æternam felicitatem, non posse poni in nostris actibus. Quod autem distinctio de observantia præceptorum quantum ad substantiam, & quantum ad modum, admittenda sit, patet tum ex Divo Thoma hic art. 4. ubi illam expressè docet: tum etiam ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. proscrinentium §8. Baij propositionem, quæ asserbat huiusmodi distinctionem esse commentitiam & explodendam. Ratio etiam suffragatur: Licet enim charitas cadat sub præcepto sigillatim & in particulari, secundum tamen quod est finis ultimus cuiuscunque præcepti, non cadit sub præcepto; quia ut communiter dicitur, *finis præcepti non cadit sub præcepto*: Ergo modus operantis, scilicet quod ex charitate impleat præceptum, est extra substantiam operis præcepti, & per consequens stare potest impletio & opus præceptum quoad substantiam, sine tali modo, & distinguimur impletio præcepti quoad substantiam, & quantum ad modum.